

sc. Quod verò impossibile est non esse, quando non est impossibile est verè negari, quod voce verè significatur esse, illud impossibile est simul non esse, quando significatur esse. E. quod voce verè significatur esse, h. e. quod verè affirmatur, impossibile est simul verè negari. Idem itaq; simul verè affirmari & negari est impossibile. Eodem modo ex non esse argumentari licet: Reliqua vide lib. 4. Metaph. c. 4. lib. 13. (II) c. 5.

§. 6 Alterum principium: Necessum est quodlibet de quolibet affirmando vel negando verum dicere probari potest, si definiatur, quid sit verum & falsum, esse *ἰξ ὁεισμός γάρ διαλεκτίον*. lib. 4. Met. c 7. & 8. Verum autem esse dicere id, quod est, esse, & id, quod non est, non esse: falsum esse dicere id, quod est, non esse, & id, quod non est, esse: Quodcunq; jam dicit id, quod est, esse, vel id, quod non est, non esse, verū dicit, quodlibet de quolibet affirmando vel negando dicit id, quod est, esse, vel id, quod non est, non esse, (ut qui dicit Socratem esse hominem, vel non esse hominem, si Socrates est homo, prior pars erit vera, si non est homo, posterior vera erit juxta definitionem datam, *nam quod est*, inquit Philosophus, *non dicitur verè esse aut non esse, neq; quod non est dicitur esse aut non esse*) E. quodlibet de quolibet affirmando vel negando verum dicit. Quod si adversarius præmissas concedat, conclusionem verò neget, tunc ex priori principio modo infra monstrando probl. 2. §. 3. illum redarguere licet: Quoddam de quodam vel quolibet affirmando vel negando verum non dicit: Quodlibet de quolibet affirmando dicit id, quod est, esse, vel id quod non est, non esse. E. Quoddam, quod dicit id, quod est, esse, vel quod non est, non esse, non dicit verum: Sed dicit verum juxta concessam præcedentis Syllogismi uni-